DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

HEPATITIDE ACUTA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES TULLY,

Hibernus.

Οκόσον ὂν ἧπαρ ἐσ ὑγέιην κρέσσον τοσόν δὲ κάκιον ἐν νὄσοισι· καὶ γαρ επιφλεγμαίνει θᾶσσόν τε καὶ βιαιότερον, καὶ αφιςαται ξυνεχέστερόν τε ϗ ολεθριώτερον.

Aretæi de Caus. et Signis Morb. lib. i. cap. xiii.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES BREWSTER.

MDCCCXXVI.

PATRI SUO

OPTIMO,

SEMPER VENERANDO,

JOANNI TULLY,

DE ATHLONIA,

IN AGRO ROSCOMMONIENSI;

HOC TENTAMEN ACADEMICUM,

OFFICII ET AMORIS

ERGA PARENTEM,

SINCERUM TESTIMONIUM,

ANIMO PIENTISSIMO

DEDICAT CONSECRATQUE

FILIUS.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HEPATITIDE ACUTA.

Auctore Joanne Tully.

Hepar, utpote maximum in corpore viscus, tam multa ad munera destinatum, et per artificium mirabile (nusquam alibi æque egregium) duplici officio organi, tam depurgantis quam secernentis, præditum, merito præstantiam, et in systemate dignitatem reposcit, quas medici cùm vetustiores tùm recentiores ei semper tribuere.

Notitia hujus organi, ejusque structuræ, usuum, et morborum variis formis apparentium revera utilis non solum esse debet in medelâ ejus vitiorum idiopathicorum, (Hepatitidis tam acutæ quam diuturnæ) ; sed etiam

in diversis febrium speciebus, multis capitis, et præcipuis abdominis morbis justas indicationes præbebit.

Etsi ubique terrarum, et sub omni cœli et tempestatum genere jecur morbis patescat, regiones, tamen, "currui solis nimium propinquo" subjectæ, iis maxime favent. Scire, equidem, licet, dum vitia pulmonis præ aliis terrarum Septentrionalium incolas absumunt, mala jecinoris eos conficere potius qui Indiam alterutram incolunt. Ex his vero nullum passu citiore ad eventum properat quam inflammatio acuta de qua pauca disserere aggredior.

Ut symptomata assidua, seu pathognomica, non idonea sunt ad hujus morbi diagnosem justam efficiendam; consuetum et necessarium est in ejus definitione plura includere, quæ data occasione tantùm obveniunt. Sic in definitione Culleni "Pyrexia, Hypochondrii dextri tensio et dolor, sæpe pungens pleuritici instar, sæpius obtusus, dolor ad claviculam et summum humeri dextri, decubitus in latus sinistrum difficilis, dyspnæa, tussis sicca, vomitus, singultus:" rarissime haec symptomata omnia simul inveniuntur, ut vomitus frequens cum dyspnæa, tussique, et vicissim.

Sensus constrictionis, seu tensio circa præcordia, comitante plure aut minore febris et anxietatis (post horripilationem et rigores) pri-

mæ sunt notitiæ morbi ægrum aggressuri. Post hæc (sed quandoque sine eorum præcessione, vel in modo saltem tam levi ut notitiam, aut memoriam ægri effugiant) dolor hypochondrii dextri ingruit, varius admodum formâ et severitate; modo insidet vehemens et continuus, modo tensivus et pungens, modo etiam obtusus et profundus. Dolor multùm a pressu et tactu augetur, præsertìm dum musculorum abdominis laxatio nos periculum ritè facere sinit. Versùs pectus, claviculam, humerum aut ventriculum, dolor jaculari potest, et sic ærumnas movere molestissimas. Decubitus in latus sinistrum præcipuè in initio morbi, dolores auget. Plerumque in dorsum ferè recumbere dextrorsum paululùm inclinatum gratissima est corporis positio.

Hæ variæ conditiones dolorem comitantes auxilium præbent ad partem jecoris affectam conjiciendam. Sic, si pressu augeatur, tum inflammatio anteriorem convexam superficiem aggreditur. Quod si dolor tactu hypochondrii dextri non aggravatur, et ad ventriculi regionem tendit suspicari ducimur faciem concavam esse morbosam.

Girdlestone affirmat dolorem humeri partem magis affectam in genere monstrare in situ cum eâ congruentem anteriorem seu posteriorem, prout hepatis antica vel postica pars in-

flammetur. Dyspnæa etiam, singultus, et anxietas unâ cum tussi frequenti et durâ, et dolores per mammas lancinantes indicant superficiem superiorem diaphragmati vicinam occupari.

Dolor vero non semper dextro hypochondrio restringitur. CHISHOLM narrat eum aliquando sub costis nothis sinistris æque ac dextris, vel inter scapulam utramque sentiri.

Vitales duæ functiones mutationes subire notantur, quando hepar inflammatione tentatur. Cordis et arteriarum actio in hâc ut in aliis phlegmasiis citatur, ideoque corporis calor aliquantulùm supra sanitatis gradum ascendit. Pulsus plerumque celer est; parvus et debilis, si superficies concava afficiatur, validus et durus, si convexa. Pulsûs debilitas animique defectiones non tantum a spasmis sed etiam ab impedito sanguinis per venam portarum ad cavam, et ad cor refluxu videntur repetendæ. Spirandi functio opprimitur et difficilis fit, itaque levis quoque tussis, crebra, et sicca oritur, quæ dolores lateris et humeri plurimum asperat. Singultus propè strangulans sæpè adest, signum semper funestum, et, eo quòd duo priora auget, molestissimum. Urina magis parca quàm antea fluit, et ruberrima redditur. Quoniam glandulæ salivariæ, et aliæ iis vicinæ officio desunt, os et fauces siccæ fiunt, et

inarescunt. Lingua crustâ albidâ obducitur quæ, (ut morbus proficiscitur,) dein flava et postea fusca, nigraque devenit.

Morbus acutus non ita frequens apud nos, ut in utraque India, ubi populariter grassatur, ut ex fide LINDI, CLARKE, GIRDLESTONE, &c. certiores facti sumus. Quare tam severe patiuntur Europæi cùm in Indiam adveniunt hæ rationes nobis suppeditantur. 1mo. Obluctandum est cum tractu ardente, et radiis imminentis solis, cujus actio in verticem directa et ratione, et experientia probatur modus esse efficacissimus quo calor ad hunc morbum ciendum applicari potest. Hic vero intelligendum est, frequentiam in ulla quavis regione Hepatitidis non proportionalem esse thermometri summæ altitudini; sed potius differentiæ altitudinum ejus die noctuque. 2do. Et tametsi hæc in pluribus corporis functionibus mutationes graves efficiunt, nulla tamen mutatio consentanea aut diætâ, aut vivendi modo fit, quæ hisce effectibus obviam iret.* Cibus idem stimulans solidus et

* Modus vivendi apud Anglos in India communis a Clarke bene describitur.—" Europeans live much the same way as they do in their own countries, except that they carry luxury to a greater height." " Great errors seem to be committed in drinking too much, and eating luxurious meals of animal food, served up with pickles, rich sauces,

animalis continuatur, ut in regione frigidiore, ubi salubris et forsan necessarius fuit. Luxuries, et vini spiritusque intemperantia eædem constanter servatæ, quàm injuriosæ et incommodæ sint.* Proinde Aborigines, oryza et lacte vescentes, missis carnibus conditis omnibus et salsamentis, Hepatitidi victimæ multo rarius fiunt.

&c. &c. dressed up in such a manner as to encourage repletion too much, for it is remarkable in warm climates, that so long as there is the least remains of health, in consequence of the evacuations being more profuse, and the constitution demanding a greater supply, the appetite is increased."

" Rice, vegetables, and spiceries are the common articles of the diet of natives in all warm climates."—*Vide Clarke on the Diseases of Warm Climates.*

Accipe nunc victus tenuis quæ quantaque secum
Afferat. In primis valeas bene :————————
——————————————— At simul assis
Miscueris elixa, simul conchylia turdis ;
Dulcia se in bilem vertent, stomachoque tumultum
Lenta feret pituita.—————————— HORAT. SAT.

* Inter causas operæ pretium sit observare ut Antiqui primas intemperantiae detulere; verba Aretæi sunt. Ην ἐπὶ μέιζονι ἀιτιή πληγῇ ἤ διαφθορῇσι ξυνεχέσι πολλῶν, καὶ κακῶν σιτίων, καὶ Οἰνοφλυγίῃ, ἤ ψυξι κρατερῇ, καὶ ἐν τῇσι πυλῃσι γιγνεται φλεγμονὴ, ὤκιστος ολεθρος.

CAUSÆ excitantes æstimari possunt vel ut diathesin inflammatoriam generalem inducentes, vel ut effectus earum ad hepatis circulationem cohibiti sunt. Causæ de quarum efficacitate experientia repetita et funesta minime dubitare permittit, sunt ictus et contusiones in corporis varias partes sed præsertim hepar illati. Cranii fracturæ quæ, quando severæ, sæpe vitiis hepaticis, et in qualitate et quantitate bilis erroribus excipiuntur.

Abdominis injuriæ etsi leves, vel ab equo casus periculosum hepatitidis impetum induxere; licèt malum nullum externum ortum sit. Violentes animi affectus ut ira, melancholia et ærumna validæ sunt causæ. Calores æstivi diu producti; præcipuè si vires eorum severiores reddantur exercitatione molestâ, (ut itineribus longis et celerrimis, quæ milites nostri in Indiarum solo arido et fervente sæpè perficere coguntur.) Febris ardens, biliosa, continua aut intermittens sæpè, post aliquod tempus, jecur morbosum inducit. Hepatitidem non raro cum febribus intermittentibus conjungi monet SWIETENIUS, ac in pessimam dysenteriam a corruptâ bile transire, si febris imprimis cinchonâ immaturè curetur. CLARKE etiam plures hepatitidis casus edidit febres intermittentes et dysenteriam subsequentes. Subitanea frigoris applicatio, ut superficiei aut ventriculo (potioni-

bus frigidis,) dum corpus nimis calet; somno se dare in madido situ vel nocturnis regionum calidarum roribus expositum; cujusvis evacuationis usitatæ fluxus cohibitus, hæc omnia efficaciter agunt in Hepatitidem, æque ac cæteras inflammationes procreando.

Quodcunque bilis liberum per ductus hepaticos transitum obstruit a priori ut causa ritè æstimandum. Et hùc redigamus bilem crassam aut inspissatam, calculos felleos, vermes in ductus impactos, inflammationem eos invadentem, stricturam spasmodicam et indurationes, vel tumores vicinos functiones eorum impedientes.

Sed diæta prava, vegetabilium defectus, inedia diuturna, vel sitis urgens (in febre præsertim) succussiones ab emeticis nimis violentæ magis idoneè scriptorum catalogos producunt. A Cleghorne quoque memoratur, et homines et animalia inferiora sæpè ex usu aquæ in Minorcâ lutulentæ hepatibus, lienibusque auctis correptos fuisse.

Indagatio causarum Hepatitidis proximarum necessariò ad naturæ inflammationis scrutationem ducit. Limes vero huic Thesi præscriptus quæstionem hanc me arnplè inire non permitteret, sufficiat hepatitidem redigere ad classem morborum, qui ab inflammatione, seu vitio in vasis sanguiferis oriuntur.

Hepatitidis effectus per totam haud ferè jeci-

noris superficiem porrecti, post mortem inveniuntur; sed praecipue ad membranam anteriorem et nonnunquam ad partes, ventriculo intestinisque vicinas, cohibentur. Signa, quæ monstrant membranam ab inflammatione occupatam, sunt infarctio vasorum minimorum sanguinem floridum continentium, et plus æquo crassorum; seri vel fibrinæ magna vis per superficiem diffusa, quæ, ob naturam peculiarem, ei ab actione vasorum minorum eam effundentium præbitam, statim coagulat, partes adjacentes sibi mutuò connectit et quasi conglutinat.

Adhæsiones inter hepatis tunicam et partes contiguas multò sæpiùs inveniuntur quàm inflammatio ipsa vel recens effusio; membrana connectens aut generalis et continua, vel ex pluribus processibus adhæsionis fieri potest. Plerùmque tenuissima est; modo arctam conjunctionem inter partem anteriorem et peritonæum vel diaphragma efficiens; modo tunicam inferiorem cum liene, ventriculo, vel duodeno quasi connatam illigans.

Post inflammationem diu perstantem, plerùmque abscessus apparent puris copiam satis largam continentes; aliquando viscus in saccum membranaceum pure impletum propemòdum convertitur.* Apud Morgagni historiæ inve-

* Vide Bianchi His. Hepat.

niendæ in quibus abscessus in ventrem irrupisse et per diaphragma in thoracem aperuisse dicuntur.*

Quandocunque jecinoris substantia inflammatione tentatur (quod multo usitatiùs in regionibus calidis quàm in nostrâ evenit) multùm augetur, indurescit, et coloris fit purpurei. In Hepatitidis casibus longe productis signa etiam ascitæ manifesta sunt; cutis et urina colorem subflavum sibi induunt et quasi bile inficiuntur. Dissectiones magnam varietatem nobis patefaciunt aliarum specierum quibus jecur morbosum et abnorme videtur, vel formâ vel colore vel structurâ internâ.

Horum autem præter naturam in cadaveribus visorum, vasa conferta florida et tumida, lympha coagulabilis in superficiem effusa, adhæsiones per membranas interjectas, augmentum voluminis, et color purpuræ aemulus effectus sunt Hepatitidi acutæ propriores. Cæterorum causæ sunt hepatitis chronica vel indoles scrofulosa ab acutâ forsan inflammatione nonnunquam incitata et fauta.

Morbi quorum symptomata proximè Hepatitidis appropinquant sunt Pneumonia, Gastritis, Rheumatismus musculorum adjacentium, et aggressiones colicæ biliosæ, vel calculi fellei.

---

* Vide Morgagni de Sed. et Caus. Morb. Ep. xxxvi. 4.

Febris, dolor lateris, tussis et dyspnœa communes sunt hepatitidi et pneumoniæ ; sequentia vero hepatitidem dignoscunt ; dolor constans, tensivus, ad humerum tendens, pressu auctus, situsque ejus sub margine costarum notharum, pulsus non ita durus. Difficilis in latus sinistrum decubitus, doloris sub inspiratione exacerbatio percipitur, tussis verò non ita incitatur, et tussis quidem, si adsit, plerùmque dolorem post aliquot dies insequitur, sed nunquam eum præcedit vel simul incipit ; lingua sordida est ; excretiones omnes speciem biliosam assumunt ; faciei oculorumque color luridus percipitur ; denique æstas et autumnus sunt anni tempora in quibus Hepatitis aggreditur. Ab his symptomata Pneumoniæ discrepantia inveniuntur. Dolor acutus et pungens, decumbere in latus affectum molestius est ; lingua rubra fit ; tussis post tempus, non ita sicca manet ; tempestas quâ pneumonia grassatur est veris initium ; et in hâc regione multo magis est popularis, continentesque æque ac cæteros adoritur.

Diagnosis a Gastritide aliquantum facilior quam a Pneumonia. Gastritis enim denunciatur dolore acerbissimo circa ventriculum, ardore gravissimo ; Hepatitis dolore hypochondrii humerique dextri. Illa urgente cibi potusve ingesti quamvis parci protinus rejiciuntur, vires ab initio insigniter et subito prosternuntur,

et singultus crebrior et dolentior fit. Dolores rheumatici in jecinoris vicinitate, et qui diaphragma musculosque intercostales sæpe afficiunt, ab Hepatitide discernendi in eo quod magis diffusi sunt; huc illuc migrantes, et motu corporis aucti; symptomata febrilia comitantia quoque admodum levia sunt, et Rheumatismi tentationes in alia corporis parte, seriùs ociùs apparebunt.

Jecinoris inflammatio a spasmis ductûs choledochi sic distingui potest: non tantum nauseæ adest, dolor permanens, pulsus supra centenarium in priore, in calculis felleis vel colicâ biliosâ impetus sunt frequentiores, magis severi sed minoris durationis; pulsus naturali tardior, habitus perturbatio multo minor, icterique præsentia valida præbent argumenta de eorum existentiâ. In spasmis denique ductuum proclinatio corporis in genua commodiùs, in Hepatitide vero positio recta et quiescens faciliùs toleranda.

HEPATITIS, vel in salutem, vel in mortem, vel in alios chronicos morbos desinit: in casu priore per resolutionem, ad duo posteriora per metastases, suppurationem, aut schirrum tendit. Horum resolutio sola optanda, et quasi expers periculi æstimanda. Probabilitas hujus eventus in hâc de quâ sermo est, æquè ac in cæteris phlegmasiis portenditur lenitate symptomatum

pluris momenti; scilicet tussis, dyspnœæ, vomitûs, debilitatisque, quando sponte suâ decrescunt vel facilè cedunt usui remediorum.

Evacuationes quædam terminationem per resolutionem denotant, hæ sunt sudor copiosus, hæmorrhagiæ, diarrhœa, urinæ sedimenta copiosa, et coloris vel rubri vel albidi; urina ipsa in quantitate plurimum aucta et ruberrima.

Suppuratio in hâc minus fatalis est quam in aliis inflammationibus. Si febris symptomata, dolor localis, et reliquæ ærumnarum citò crescere perstant pro tempore ultra limitem resolutioni propositum, suppuratio est expectanda. Periodus nihilominus admodum varia est, eo quod ex climate, tempestate, viribus et ægri ætate pendet pariter ac gradu inflammationis praecedentis ut et efficacitate methodi progressum ejus impedire ascitæ. Præsentia suppurationis sæpe obscura, neque symptomatibus, quæ se cum puris formatione usitatè consociant, designata est. Horum manifestissima et maximi momenti sunt rigores frequentes et irregulares, remissio doloris acuti subitanea, sensus oppressionis, pulsûs, et ponderis in dextro hypochondrio. Signa denique plurima febris hecticæ superveniunt, ut pulsus parvus et dimidio celerior solito, sanguinis ad faciem subitus et transiens fluxus, exacerbatio vesperi notanda, sudores profusi et emaciatio.

Abscessus interdum ad exteriora vergit, et peritonæo accretus, vel manum chirurgicam exposcat vel non. Quando pus artis vel naturæ ope effunditur, valetudo postea plerumque illicò revertitur; etsi vulnus tardiùs conglutinetur. Reliqui modi a recentioribus* enumerati quibus abscessus aperire potest sunt sequentes. 1mo. Materies purulenta per ductus biliares ad intestina transiret. 2do. Iter ad ventriculum et canalem alimentarium rectiùs patesceret, exulceratione factâ per tunicas eorum hepatisque quæ antea in processu inflammationis sibi mutuo adhæserint. 3tio. Viâ tardiore et magis complexâ ad pulmones penetraret, ope diaphragmatis, quod primò jecinori dein pulmonibus accreverit. 4to. Si prior hujus operationis gradus tantùm efficiretur, apertura necessariò in cavitatem thoracis fieret. 5to. Et quando nulla quæcunque ad-

---

* Ab antiquis quoque enumerantur modi quibus aditum sibi moliri possunt abscessus, et etiam singulorum signa diagnostica. Aretæus exitus per intestina et vesicam urinæ magis generales æstimavit, posteriorem tutissimum. Hippocrates pariter memorat Hepar aliquando liberatum esse a bilis redundantiâ; eâ erepente in vesicam vel intestina.

Καὶ ἐξέρχεται αὐτέης, τὸ μὲν κατὰ τὴν κύστιν τὸ κατὰ τὴν κοιλίην.

Sec. ii. lib. 4.

hæsio formatur abscessus in abdominis cavum foras exitum inveniret. Horum duo priores multo majorem recuperationis spem exhibent. Tertius ubi evenit et puris quantitas effusa ita parca sit ut suffocationem instantem non producat, æger in aliquod temporis supervivat, sed excreatio purulenta, et febris hectica eum certè gradatim conficient. Duo postremi celeriter sunt fatales quarto in strangulationem, quinto in ascitem purulentam desinentibus.

Induratio jecinoris schirrosa effectus est hepatitidis chronicæ sæpius quam acutæ, in his regionibus præsertim ; et in calidioribus quoque si inflammatio acuta non sit cito et adæquatè domita aptissima est formam chronicam assumere et sic in indurationem degenerare. Hepatitis in gangrænam rarissime quidem desinit. Sed testimonium MORGAGNI ut et SAUNDERS satis certum est omne dubium de hâc re amovere. Signa sphaceli incipientis similia sunt iis quæ in aliûs cujusvis partis mortificatione cernenda sunt.

MEDELA Hepatitidis ejusdem formæ est ac in aliis morbis inflammatoriis ; ad capita sequentia referri potest, scilicet venæsectionem copiosam tam localem, quam generalem, alvum laxantia, epispastica supra locum dolentem admota, enemata emollientia, fomenta externè

applicata, regimen denique et medicamenta diluentia et antiphlogistica internè sumpta.

Propter celerem morbi ad suppurationem proclivitatem venæsectio nimis ociùs non adhiberi potest. Ut regula sanè propositum fuit, nunquam post quartam diem venam aperire; idem consilium in pneumoniâ datum et cum pari justitiâ. Symptomata vero, non periodus in utrâque nos dirigere debent. Quando pulsus durus fit, dolorque urgens, venæsectio semper idonea erit. Vires, ætas, valetudo ægri antecedens, modus symptomatum quoad violentiam, atque effectus venæsectionis in pulsum, debent quantitatem sanguinis in singulis casibus hauriendam determinare. In omni inflammationis casu, ab apertura larga sanguis emittatur: commodum depletionis subitæ nunc universe sanciri videtur.

Norma quam nonnulli sibi proponunt sanguinis emittendi, quamdiu superficies coriacea appareat, admodum injuriosa est. Sæpe evenit dum hæc in quaque succedente inanitione crescit, quod pulsus gradatim debilior fit, coagulum visciditatem ejus amittit, quasi solutum apparens, et æger triste sed manifestum testimonium methodi inconsultæ præbet, signis imbecillitatis velociter ingravescentis. Quod si coagulum firmum et opacum videatur, summitasque ejus concava et ad marginem plicata;

Si pulsus durus, et dolor urgens assidue permaneant; tum justo argumento protegimur venam iterùm incidere. Si vero coagulum semipellucidum sit, et coloris lutei viridisque cum superficie planâ, detrimentum potius quam usum afferret venæsectio generalis. Sanguinis missio localis etiam sæpe utilis evadit et interdum pauxillum sanguinis e vicinitate visceris inflammati sumptum forsan multo majus auxilii dabit quam vis magna a systemate generali deducta. Sed non nisi ut auxiliaria adhibenda, postquam symptomata violentiora labefacta fuere evacuationibus magis generalibus.

Cathartica propter situm peculiarem visceris tentati, magis accommodata sunt determinatum beneficium afferre in hâc quàm aliâ quâvis inflammatione; in hepar ipsum directè agunt, inanitionem bilis per ductus promovent, et revulsionem quasi, vel sanguinis per totum intestinorum cursum derivationem producunt. Præparationes Hydrargyri a quibusdam præferuntur ut potestatem quandam habentia quâ jecur ad justam officiorum peractionem stimulant. Alii vero præponunt cathartica salina copiosè soluta; in solutione largâ et frequenter adhibita sales medii cum ventriculo magis consentiunt, veriùsque ut antiphlogistica agunt. Si constipatio adsit, et necessarium videatur intestina exonerare, enemata plerumque vicarii

tenues et haud adæquati loco purgantium sunt; sed in hepatitide ut in aliis abdominis morbis, enemata copiosa et mitia quasi fomenta utilia sunt, irritationem allevant, et ad alvi solutionem cum cæteris medicamentis operam conferunt.

Si paulùm vel nihilo melius dolor et alia symptomata reddantur, Epispastica merito in auxilium vocantur, et partem implicitam, quam possibile, prope admovenda. Successio emplastrorum celer magis idonea habetur, quam ulcus unico oriundum arte conservare. Fomenta calida, vel panni lanei ex aquâ calidâ compressi valde commodi sunt; sed efficacissima forsan esset quantitas larga fluidi cujusvis mitis et tepidi in stomachum recepta vel intestinis injecta.

Per totum inflammationis cursum, diæta perfectè antiphlogistica debet esse, levis, facilis ad coquendum et paululum nutritionis in dato volumine continens.

Diaphoretica symptomata febrilia minuendo et cutis humiditatem promovendo multùm ad solatium tendunt; varia sunt medicamenta tale beneficium inducere idonea. Sed potestas nullius forsan magis certa et minùs stimulans reperietur quam tartris antimonii.

Hisce rationibus discussâ febre sæpe usus Hydrargyri cum beneficio tentatur in tali quan-

titate ut æger in limite salivationis aliquantisper servetur; spatium temporis prout casus eveniat judicandum. Quidam Hydrargyri præparationes ministrare consuerunt a morbo ineunte, sed peritissimis jam persuasum, non inter principia usum ejus concedendum, et non nisi formâ chronicâ morbi instante, auxilii aliquod afferre.

Ut symptomata in hoc morbo nonnunquam haud urgentia videntur, remedia seriùs asciscuntur, et ob levitatem inflammationis generalis evacuantia minorem habent effectum, morbus proinde in suppurationem terminabit. Ubi hunc eventum suspicamur, cinchona et alia medicamenta tonica extemplò adhibenda, cum diætâ magis generosâ, ad vires reficiendas, et in his perstandum, donec suppuratio absoluta sit.

Si abscessus extrorsùm tendat, tum exitum, quamprimùm tuto fieri potest, præberi oportet.

Si felices adeo simus ut prohibeamus hujus morbi ad suppurationem proclivitatem egregiè celerem, usu tempestivo modi ad violentiam symptomatum aptati, æger tamen necessariò redigetur ad statum languoris et debilitatis partim ex morbo ipso, partim ex methodo quâ morbum adorti sumus. Ratio stimulans et tonica ideoque, et diætâ, et medicamentis quibus vires reddantur postuletur, cum primùm

signa inflammationis evanuissent. Studium haud minus exigetur in cavendo ne morbus recidivus fiat, causas singulas excitantes, et omnem futuram irregularitatem evitando.

FINIS.